



PER signum + Crucis de inimicis + nostris
libera nos +, Deus noster.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
Amen.

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper
Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni
Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, et
omnibus Sanctis quia peccavi nimis cogitatione,
verbo et opere: (**Percutit sibi pectus ter, dicens:**)
mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo
precor beatam Mariam semper Virginem,
beatum Michaellem Archangelum, beatum
Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et
Paulum, et omnes sanctos, orare pro me ad
Dominum Deum nostrum. *Amen.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo Vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis. (**Hic genuflectitur**) **ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per

Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, + et vitam venturi sæculi. *Amen.*

Pater Noster, qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. *Amen.*

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Iesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostræ. *Amen.*

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. *Amen.*

Iaculatoria


V. Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ.

R. Tu nos ab hoste protege et hora mortis suscipe.

O mi Iesu, dimitte nobis debita nostra, libera nos ab igne inferni, et leni animas Purgatorii, maxime desertissimis. *Amen.*

V. Fidelium animæ, per misericordiam Dei.

R. Requiescant in pace. *Amen.*



Mysteria Gaudiosa



Primo: Beatæ Mariæ Virginis anuntiationem
contemplamur, et humilitas petitur.



Secundo: Beatæ Mariæ Virginis visitationem
contemplamur, et charitas ad fratres petitur.



Tertio: Domini Nostri Iesu Christi nativitatem
contemplamur, et paupertatis spiritus petitur.



Quarto: Domini Nostri Iesu Christi
presentationem in templo contemplantur, et
obedientia petitur.



Quinto: Domini Nostri Iesu Christi inventionem in templo contemplamur, et Deum inquærendi voluntas petitur.

Mysteria Dolorosa



Primo: Domini Nostri Iesu Christi orationem in horto contemplamus, et dolor pro peccatis nostris petitur.



Secundo: Domini Nostri Iesu Christi
flagellationem contemplamur, et corporum
nostrorum mortificatio petitur.



Tertio: Domini Nostri Iesu Christi spinis
coronationem contemplantur, et superbiæ
mortificatio petitur.



Quarto: Domini Nostri Iesu Christi crucis
baiulationem contemplamur, et patientia in
tribulationibus petitur.



Quinto: Domini Nostri Iesu Christi crucifixionem et mortem contemplamur, et sui ipsius donum ad animarum redemptionem petitur.

Mysteria Gloriosa



Primo: Domini Nostri Iesu Christi
resurrectionem contemplamur, et fides petitur.



Secundo: Domini Nostri Iesu Christi in cælum
ascensionem contemplamur, et spes petitur.



Tertio: Spiritus Sancti descensionem
contemplamur, et charitas ad Deum petitur.



Quarto: Beatæ Mariæ Virginis in cælum
assumptionem contemplamur, et bene moriendi
gratia petitur.



Quinto: Beatæ Mariæ Virginis coronationem
contemplamur, et fiducia in Maria Regina
Nostra petitur.

Salve, Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevæ. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti: da, ut cuius commemoratione lætamur; eius pia intercessione, ab instantibus malis, et a morte

perpetua liberemur. Per eundem Christum
Dominum nostrum. *Amen.*

Tempore Adventus

V. Angelus Domini nuntiavit Mariæ,

R. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero
Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem
suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut, qui
vere eam Genetricem Dei credimus, eius apud
te intercessionibus adiuvemur. Per Christum
Dominum nostrum. *Amen.*

Tempore Nativitatis

V. Post partum, Virgo, inviolata permansisti,

R. Dei Genetrix, intercede pro nobis.

Oremus

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Filius tuum auctorem vitæ suscipere. Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. *Amen.*

Tempore Paschali

V. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluia.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, mundum lætificare dignatus es: præsta, quæsumus: ut, per eius Genetricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.